



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quis dispenset? parag. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

invalidum, sicut se gerat, proferat v. gr. verba extrinsecè, sed absque intentione faciendi verum actum, seu verum Sacramentum, non incurrit in Irregularitatem, quia actus procedens à ficta intentione non dicitur usus Ordinis. Si vero habeat intentionem verum actum, seu Sacramentum faciendi, sed ex defectu materiæ, vel alterius circumstantiæ Sacramentum non facit, probabilius putat in Irregularitatem incurrit, quia tunc ille serius, ac voluntarius conatus faciendi actum, abusus Ordinis est. Scio Prates, a putare etiam in hoc secundo casu non incurrit Irregularitatem, sed, quia illum sequi, saltem tutius nolo, non est necesse in re rata amplius immorari.

a Prat. in
manusc. de
Irreg. d. 5. c.
4. §. 1. n. 18.
fol. 507.

18. Inquires Quinto. Si Sacerdos excommunicatus toleratus ad petitionem Fidelium non habentium v. gr. alium Sacerdotem, nisi hunc, celebret Sacrum die festo, ut si satisficiant præcepto, potestne licet tunc celebrare, & effugere incursum in Irregularitatem? Supponimus autem ne is peccet, se posuisse in gratia saltem per contritionem.

b Castrop.
de Cens. d.
2. p. 8. n. 4.

19. Respondeo. Castropal. b videtur concedere his verbis: Ex quo fit, si dies occurrat festivus, neque adsit alius Sacerdos, qui Missam populo faciat, posse excommunicatum (unquam toleratum) celebrare, quia præsumitur Populus petere sacrificium necessarium pro præcepto audiendi Sacrum exequendo. ut bene Navarr. Filliuc, Bonacina. Hæc Callropalaus.

Inquires Sexto. Si is, cui est interdictus ingressus in Ecclesiam, celebret, incurritne in Irregularitatem?

Respondeo, Incurrit, quia adhuc tunc violat Censuram, ut habes apud Suarium, & aliosque.

c Suar. de
Cens. d. 35.
se. 4. Lead.
de Interd.
d. 7. ferè per
notam.

§. IV.

Quis dispenset in prædictis ex abusu Ordinis?

1. Irregularitas contracta primo modo ex dictis §. 1. hoc est ex iuriva Ordinum susceptione, si tamen ea contrahitur, est dispensabilis ab Episcopo, si non præcessit prohibitio excommunicationis. Id quo modo se habeat, dixi in Tractatu de Ord. c. 12. à num. 34. & videri potest Thesaurus de pœnis Ecclesiasticis p. 2. V. Ordo cap. 7. præsertim §. Advertis Secundo. Quando autem etiam est oc-

cultum, dispensari semper posse ab Episcopo sic concedente a Tridentino, jam non ignoras.

a Trid. 24. Ref.

2. Irregularitatem contractam secundo modo ex dictis in eodem §. 1. hoc est ex Ordine suscepto ab uxorato, tunc solum potest Episcopus dispensare, quando sic ordinatus ingrederetur Religionem, mortua jam uxore, vel perpetuo divortio celebrato.

3. Irregularitatem denique contractam ex usurpatione Ordinis, quem non habes, vel ex prava administratione Ordinis, quem habes, de qua dictum est §. 2. & 3. à solo Pontifice dispensatur, nisi, quando est occulta, quæ potest ab Episcopo ex dicto Tridentino.

CAPUT XV.

De Irregularitate ex occisione hominis.

§. I.

Dispositio eorum, quæ in hoc capite sunt tractanda.

I. VT ex Ordine progrediamur, Agam hic Primo. de Homicidio casuali, præter intentionem, & quidem physice commisso.

Secundo, de eodem casuali, sed moraliter commisso, id est otto ex mandato consilio, &c. ad aliud, quam ad homicidium.

Tertio, de physice, & quidem injustè commisso ex intentione, id est de Homicidio voluntario.

Quarto, de eodem voluntariè commisso moraliter, per mandatum, consilium, &c. &c.

Quinto, de mutilatione, quæ etiam ipsa causa Irregularitatis est.

Sexto, de occisione iuste patrata à Ministris Justitiæ.

Septimo, de eadem iuste patrata à Militibus in Bello.

Octavo, de eadem commissa in sui defensionem.

In re sexcentis nodis implexa lucem nobis præferat Lux æterna.

De Irregularitate ex homicidio casuali.

§. II.